

23. Eclipsis Lunæ proximè futura dici potest ens & non ens.
24. Non omne, quod componitur ex entibus, est ens; quemadmodum non omne, quod componitur ex non entibus, non entis rationem habet.
25. Corpus esse unum, verum, bonum, ex eò, quòd sit ens, demonstrare, est actum agere.
26. Causis Naturalibus causas Morales cum B. Slevogtio, sed utrisque causas Notionales, cum Excell. Dn. Præside contradistinguendas putamus.
27. Veritas, quæ datur in prima mentis operatione, longè feliciùs diceretur rectitudo.
28. *Impossibile est idem simul esse & non esse*, est primum principium, licet sit Propositio modalis.
29. Canon Metaphysicus: *Quæ conveniunt in unò tertiò, inter se conveniunt*, non est sine nãvò.
30. Scientia Metaphysica utpote abstractior ultimò locò melius addiscitur, licet primò locò tradi mereatur in systematibus Philosophicis.

#### IV. Pantometricæ.

31. Si Metaphysica tantum de entibus agit, angustior est Pantometriã, quippe quæ tum entia, tum non entia metitur.
32. Apud Pantometras omnia cogitabilia certis inclusa sunt prædicamentis.
33. Quantitas & Ratio se non habent ut subjectum & affectio.
34. Ratio est valor unius in mensura alterius.
35. Proportio est rationum ratio simpla.
36. Liber secundus, quintus & septimus Elementorum Euclidis mera continent effata Pantometrica, lineis saltem figuris & numeris accommodata.
37. Si duorum quorumcunque A. B. alterum A. totum discoincidit cum aliquò tertiò C, quod totum discoincidit cum alterò B, etiam aliquid eorum, quæ discoincidunt cum priori A, discoincidet cum alterò B.
38. Si  $\text{---} 2 B$  addatur  $\text{✚} 2 B$  gradus  $\text{=}$ , aggregatum est  $\text{=} 0$ .